

aliis, vel interveniat propriæ animæ periculum.

26. *Cum hæreticis disputare, laicis sub excommunicatione prohibetur.* — Quæritur II. An, quibus, quando, et quomodo licet catholicis disputare cum hæreticis? Resp. I. Laicis omnibus sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ prohibitum est, disputare cum hæreticis de fide, textu expresso, c. 2, h. t., in 6, ibi: «Jubemus quoque, ne cuiquam laicæ personæ liceat publice et privatim de fide Catholica disputare; qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Ratio est, quia, cum laicis a potiori minus docti, minusque instructi præsumantur in mysteriis fidei, periculosum eis est, de fide disputare cum hæreticis, utpote in falsa sua secta apprime imbutis, ita ut in simili disputatione plerumque majus periculum timendum, ne Catholicus pervertatur, vel hæretici in sua falsa religione firmentur, quam convertantur.

27. *Etiamsi sint docti.* — Et quidem hæc juris prohibitio non tantum de indoctis, sed etiam de doctis laicis procedit, ut contra Cajetanum, 2, 2, quæst. 10, a. 7, ad 4, bene tenet Sylvester, §. *Disputatio*, num. 4. Farinacius, *Prax. criminal.*, quæst. 178, num. 112, cum Glossa communiter recepta, in cit. c. 2, h. t., in 6, §. *Tenet*. Ratio est, tum quia jus indistincte ac generaliter loquitur: consequenter etiam indistincte intelligi debet, arg. c. *Quia circa*, 22, de *Privileg.* Tum quia leges feruntur de iis, quæ frequenter, vel plerumque accidunt, l. *Nam ad ea*, 14, ff. de *Legib.* Laici autem frequentius, imo plerumque sunt indocti, aut certe minus sufficienter instructi in mysteriis fidei; consequenter universim omnibus merito prohibita est disputatio de fide cum hæreticis, ne alioquin disputante laico vero docto, etiam rudes, et imperiti de sufficientia sua male præsumentes ansam disputandi accipiant, non sine gravi periculo, num. præced., allegato.

28. *Ista tamen juris prohibitio in locis, ubi catholici cum hæreticis permixti vivunt, usu vel non est recepta, vel per consuetudinem contrariam abrogata.* — Notant tamen recte Herinx, disp. 9, de *Fide*, q. 3, num. 34. Palao, *Tract. 4, Disp. 2, pun. 4.* Sanchez, lib. V, *Moral.*, cap. VI, num. 7, et alii; legem, seu prohibitionem hanc vel casu nunquam esse receptam, vel contraria consuetudine iterum abrogatam in locis, in quibus

hæretici cum Catholicis permixti vivunt; quia passim ibidem cum hæreticis in privatis colloquiis disputant laici; idque sæpe necessarium est pro avertendo pusillorum scandalo, præsertim ubi ob persecutionem hæreticorum non tolerantur clerici.

29. *Clericis non est prohibitum disputare cum hæreticis.* — Resp. II. Quamvis non desint, volentes, etiam clericis prohibitum esse disputare cum hæreticis, arg. l. *Nemo*, 4, C. de *Summa Trinitat.*, ibi: «Nemo clericus, vel militaris, vel alterius cujuslibet conditionis de fide christiana publice turbis coadunatis, et audientibus tractare conetur in posterum:» et can. *Cum quibus*, 36, in fine, cau. 24, q. 3. Nihilominus clericis per dicta jura prohibitum non esse, publice et privatim disputare cum hæreticis, si debitæ servantur circumstantiæ, communis et universalis praxi Ecclesiæ confirmata tenet opinio aliorum; eo quod tam, l. *Nemo*, quam can. *Cum quibus* citati loquantur in casu, quo fit disputatio dubitativa de fide, seu ratione dubii, quod clerici de fidei articulo aliquo jam definito habent, vel eum vocare volunt in dubium, uti de can. *Cum quibus*, bene ibid. advertit Glossa, §. *Certamen* et l. *Nemo*, constat ex contextu statim subsequente, ibi: «Nam et injuriam facit Romæ synodo, si quis semel judicata, et recte disposita revolvere, et publice disputare contenderit.» Accedit, dictam legem, *Nemo*, ab Ecclesia non fuisse approbatam, consequenter omni valore carere hoc ipso, quod nulla lex civilis, quæ de Ecclesiis, vel rebus spiritualibus, aut personis ecclesiasticis etiam in favorem eorum disponere habeat valorem, nisi ab Ecclesia approbetur, textu expresso c. *Ecclesia*, 10, de *Constitut.*, ibi: «Nullus firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum:» concordat c. fin. de *Rebus eccles.* non alien.

30. *Si sint clerici sufficienter docti, et debitas circumstantias prudenter observent.* — Dicitur tamen notanter in conclusione, si debitæ servantur circumstantiæ: tum respectu disputantium, ut videlicet nonnulli sufficienter docti, et instructi hujusmodi disputationes assumant; ne alias eadem, quæ a disputatione laicorum pericula eveniant; tum respectu audientium, loci insuper ac temporis, uti bene observat, et materiam, hanc ulterius bene deducit Gonzales in c. *Cum ex injuncto*, 12, h. t.

31. *Prædicare nec hæreticis, nec catholicis*

possunt laici. — Quæritur III. An etiam, et quinam prohibeantur prædicare hæreticis, vel aliis? Resp. I. Sicut prohibitum est laicis disputare cum hæreticis de fide, ita etiam prohibitum eis quoque est, ne hæreticis, vel quibusvis aliis etiam Catholicis prædicent, textu claro c. *Cum ex injuncto*, 12, et c. *Sicut*, h. t., ibi: «Cum igitur nonnulli laici prædicare præsumant, et verendum nimis existat, ne vitia sub specie virtutum occulta subintrent, etc. Mandamus, quatenus cum alios Dominus dederit Apostolos, alios doctores, alios prophetas, interdicas laicis universis cujuscunque ordinis censeantur, usurpare officium prædicandi.»

32. *Neque clerici sine licentia episcopi.* — Resp. II. Graviter insuper, et quidem sub excommunicatione prohibitum est clericis, ne publice vel privatim sive hæreticis, sive Catholicis prædicent; nisi ad prædicationis officium legitime deputentur: ita clare statuitur c. *Excommunicamus*, 13, § *Quia vero*, h. t., ibi: «Quia vero nonnulli sub specie pietatis virtutem ejus (juxta quod Apostolus ait) abnegantes, auctoritatem ejus vindicant prædicandi, cum idem Apostolus dicat: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur. Omnes, qui prohibiti, vel nonnisi missi præter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel Catholico Episcopo loci susceptam, publice vel privatim prædicationis officium usurpare præsumserint, excommunicationis vinculo innodentur; et, nisi quam citius respuerint, alia competenti pœna plectantur.»

33. *De potestate prædicandi competente regularibus. Remissive.* — Porro qualiter regulares indigeant licentia, vel saltem benedictione episcopi ad prædicandum in suis, vel alienis Ecclesiis, ex parte diximus jam supra, lib. I, tit. XXXI, de *Officio judicis ordinarii*, et magis adhuc dicemus infra, tit. XXXIII, de *Privilegiis*.

§ III.

DE LECTIONE, RETENTIONE, IMPRESSIONE, ET DEFENSIONE HÆRETICORUM, ET ALIORUM PROHIBITORUM LIBRORUM.

34. *Hi libri dupliciter prohibentur, per Bullam Cœnæ videlicet, et indicem librorum prohibitorum.* — Notandum prius duplicem præcipue circa hos libros extare prohibitionem: unam videlicet in Bulla Cœnæ; alteram vero in indice librorum prohibitorum,

auctoritate concilii primitus, et Pii IV erecto, postea per successores Pontifices continuato, confirmato, et aucto.

35. *Per Bullam prohibetur sub excommunicatione lectio omnium, et solorum librorum hæreticorum hæresin continentium, vel de religione tractantium.* — Quæritur itaque I. Quorum librorum lectio, retentio, impressio, et defensio prohibita sit per Bullam Cœnæ, et quomodo? Resp. I. Per Bullam Cœnæ gravissime, et quidem sub excommunicatione Papæ reservata prohibetur lectio omnium et solorum librorum hæreticorum illorum, qui ab auctore hæretico compositi hæresin continent, vel de religione tractant. Unanimis, et certa, ob clarum dictæ, Bullæ Cœnæ textum § 1, ita sonantem: «Excommunicamus, et anathematizamus, etc. Omnes, et singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, etc. ac eorumdem libros hæresin continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra, aut Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio, vel colore,» etc. Pro majori intelligentia hujus legis pono sequentem conclusionem, qua:

36. *Ad incurrendam tamen hanc excommunicationem requiruntur plures conditiones, et quidem I, ut auctor libri sit hæreticus. Hinc legere librum infidelium, vel catholicorum etiam hæresin continentem contra Bullam Cœnæ non agit.* — Resp. II. Ad hoc, ut libri alicujus hæretici censeatur prohibita lectio vigore Bullæ Cœnæ, et pœnis ejusdem subjacere requiruntur sequentes conditiones. I. Ut liber sit alicujus veri hæretici, seu ut auctor, qui librum composuit, sit hæreticus: hinc excommunicationem Bullæ Cœnæ non incurrit, qui legit librum pagani, Judæi, Turcæ, vel alterius infidelis non baptizati, etsi de religione tractet, et hæresin contineat. Nec ille, qui legit librum auctoris catholici, etsi unam, vel plures hæreses ex imprudentia inspersas habeat: vel in quo de verbo ad verbum etiam per integra folia referuntur textus, et doctrinæ alicujus hæretici, vel hæreses scriptoris hæretici. Navarrus, *Manual.* cap. xxvii, n. 56; Palao, de *Infidelitate*, tract. IV, disp. 2, pun. 10, § 1; Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. x, n. 23; Layman, lib. II, tr. I, cap. xv, n. 1. Ratio est, quia dicta Bulla, uti patet ex textu, excommunicat illos solos, qui legunt librum

hæretici; consequenter si auctor libri verus hæreticus non est, lectio illius sub dicta prohibitione, utpote odiosa non comprehenditur: eo quod lex pœnalis, et omnia alia odiosa stricte sit interpretanda, prout amplius diximus lib. I, tit. II, de *Constitut.* § 17, a n. 427, arg. c. *In pœnis*, et c. *Odia*, de *Reg. jur.* in 6.

37. *Etsi mala fide illum legat.* — Nec refert, quod quis auctoris catholici, aut alterius non hæretici librum hæreses, aut doctrinas hæreticas continentem legat mala intentione v. g. sola culpabili curiositate, vel animo discendi hæresin, impugnandi catholicos, etc. uti bene advertunt doctores citati. Ratio est, quia Ecclesia non iudicat de internis et occultis, et propter interna nullum punit delictum, arg. c. *Erubescant*, dist. 32, juncta Glossa, §. *Secretorum*.

38. *Quid juris de libellis controversiæ, quæ in his partibus catholici, et hæretici contra se invicem edunt.* — Intertur. Quid sentiendum de libris, ac libellis, quos in his partibus catholici contra hæreticos, et hi contra illos de controversia fidei passim edunt, videlicet, quod etsi contra Bullam Cœnæ agat, pœnasque illius incurrat, qui legit aliquem huiusmodi libellum ab hæretico editum (cum vere sit liber hæretici de religione tractans, quin et hæresin continens) tamen ab eadem transgressione dictæ Bullæ, ac pœna illius immunis sit, qui legit ejusmodi librum, vel libellum a catholico editum, etsi in eis hæresis, et doctrinæ hæreticorum ad longum de verbo ad verbum pro refutatione referantur.

39. *Lectio libri hæretici per Bullam Cœnæ est prohibita, sive manuscriptus.* — Cæterum si auctor libri est hæreticus, et liber hæresin continet, vel de religione tractat, lectio illius vi Bullæ Cœnæ prohibita est, sive liber sit typo impressus, sive manuscriptus. Castro Palao, loc. cit.; Suarez, disp. 20, sect. 10, n. 2; Layman, loc. cit.; Sanchez, loc. cit. n. 14, cum communi; quia manuscriptus vere etiam est, et dicitur liber hæretici, consequenter æque ac impressus, censetur prohibitus; præsertim cum eadem de illo, ac isto militet ratio; ubi autem eadem ratio, eadem est legis dispositio, arg. l. *Ideo*, ff. *de Legib.* et l. *Non possunt*, ff. *eod.* cum concordantiis. Et alias facile eludi posset saluberrima hæc prohibitio.

40. *Secundum aliquos nomine libri hic non veniunt epistolæ, conciones, orationes, et alie*

breves scripturæ hæreticorum. — Controversia autem inter doctores est, num etiam vi præfatæ Bullæ Cœnæ prohibita sit lectio epistolæ, concionis, orationis, vel alterius similis brevioris scripti aut impressi in paucis foliis duntaxat consistentis libelli, aut opelli, de religione tamen agentis, aut hæresin continentis, eamque impugnantis, et ab hæretico editi? Layman siquidem, lib. II, tr. I, cap. xv, n. 3; Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. x, n. 29; Bonacina, disp. 2, de *Censur.* quæst. 5, pun. 4; Durandus, lib. II, in can. 1, q. 44, n. 6; Herincx, disp. 9, de *Fide*, q. 8, n. 85, negativam saltem probabilem esse putant, ducti ratione; tum quia huiusmodi epistolæ, conciones paucorum foliorum in tractatum non redactæ, proprie non veniunt libri nomine secundum communem loquendi usum accepto; consequenter, cum verba legis pœnalis stricte sint interpretanda, c. *Odia*, de *Reg. jur.* in 6, in Bulla Cœnæ lectionem librorum hæreticorum prohibente, comprehendi non videntur; tum quia veri libri diutius conservari, latius diffundi, majorisque auctoritatis esse, et consequenter majus periculum generare solent, quam similes epistolæ, conciones, etc. formam tractatus non referentes.

41. *Contrarium est probabilius, probatur a paritate rationis.* — E contra vero Farinacius, de *Hæresi*, q. 180, n. 30 et 31; Suarez, disp. 20, sect. 2, n. 10, et alii affirmativam tuentur; quam etiam ut probabilior, et in praxi tenendam censet Palao, de *Infidelitate*, tr. IV, disp. 2, punc. 10, § 1, n. 4 et 5, Layman quoque eam verisimilem dicit. Cujus sententiæ plures afferunt rationes. Primo, quia ratio legis, periculum videlicet perversionis, ob quod Bulla Cœnæ prohibita est lectio librorum hæreticorum, idem reperitur in huiusmodi etsi paucorum foliorum concionibus, epistolis, aliisque parvis scripturis, quod in majori aliquo unam, vel alteram solummodo hæresin continente libro; præsertim, si, uti fit, in huiusmodi concionibus hæresin ex professo propugnant, et refutare omnibus viribus satagunt. Ubi autem eadem est ratio, eadem est legis dispositio. l. *Illud*, ff. *ad Legem Aquil.* et c. *Inter corporal.* de *Translat.*

42. Secunda ratio est, quia dum Bulla prohibetur liber auctoris hæretici, prohibetur quoque quævis pars etiam modica illius, v. g. præmium, præfatio, epistola dedicatoria illius, prout omnes etiam adversarii

fatentur; ergo etiam conciones, et aliæ separatæ parvæ scripturæ hæretici auctoris; cum licet actu non sit pars magni libri, tamen esse valeant, et interea idem, quin et subinde longe majus perversionis periculum, quam plures conjunctæ partes majoris libri, vel totus liber habeant.

43. *Et per declarationem cardinalium.* — Tertia ratio desumitur ex declaratione Congregationis, quæ interrogata circa decretum concilii Tridentini sess. 4, de *Eductione librorum*, emanatum; quænam comprehendantur ibidem nomine libri? Respondit: Comprehendi sub illo etiam conciones, lectiones, disputationes, et similia; ergo etiam in casu nostro, Bulla Cœnæ prohibendo lectionem librorum auctoris hæretici, censenda est prohibere quoque conciones, et alias paucorum foliorum; præsertim cum in his eadem ratio, et idem, vel majus periculum perversionis inveniatur juxta dicta, et dicenda infra.

44. *Solvuntur fundamenta adversariorum.* — Nec in contrarium efficaciter quid probare videntur fundamenta adversariorum n. 40, posita. Nam posterius quasi vero non militaret eadem ratio, jam patet per dicta n. 41. Ad prius vero, quod conciones, epistolæ, etc. non veniant nomine libri, respondetur, auctores Bullæ Cœnæ prohibendo libros hæreticorum, revera intendisse, et voluisse prohibere omnia illorum opera, sive magna, sive parva, sive impressa, sive scripta, ex quorum lectione imminere potest legenti periculum perversionis, sive dein in stricto ac communi sensu liber dici valeat, sive non. Consequenter, cum juxta n. 41, etiam in lectione similium concionum, ac modicarum scripturarum idem, imo subinde majus perversionis periculum subsit, propter verbum legis, contra intentionem illius judicare non debemus, « Nam non debet quis verba legis considerare, sed voluntatem et intentionem; quia non debet intentio verbis servire, sed verba intentioni, » ut dicitur can. *Humanæ aures*, cau. 22, quæst. 5, et l. *Scire*, 16, ff. *de Leg.* ibi: « Scire leges, non hoc est, verba eorum tenere, sed vim, et potestatem; » ac c. *Certum est*, de *Reg. jur.* in 6, ibi: « Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem; » quæ etiam in pœnalibus, et odiosis procedunt, prout amplius diximus lib. I, tit. II, de *Constit.* § 17, a n. 429.

45. *Confirmatur.* — Confirmatur. Si ex hac ratione, quod conciones, etc., non veniant nomine libri proprie accepti, non comprehenderentur sub prohibitione Bullæ Cœnæ, sequeretur etiam, opuscula, seu libellos modicos in octava v. g. vel decima forma non esse comprehensos; quia etiam non sunt libri, sed libelli duntaxat, consequenter in materia odiosa nomine libri non venientes; atqui sequela est absurda, et contra ipsos adversarios.

Ob has igitur, et similes rationes sententiam affirmativam nos quoque probabiliorum reputamus, eamque in praxi omnino suademus, quamvis sententiam negativam, dicentem, memoratas conciones, et alias similes paucorum foliorum breves scripturas auctoris hæretici non esse per Bullam Cœnæ prohibitas, ut penitus improbabilem pronuntiare nolimus.

46. *II. Conditiō est, ut liber tractet de religione: vel hæresin contineat. Quando dicatur de religione tractare?* — II. Conditiō requisita ad hoc, ut liber hæretici per Bullam Cœnæ prohibitus censeatur, est, ut vel de religione tractet, vel saltem hæresin contineat, ita, ut alterutrum horum sufficiat; quia, uti ex textu patet, Bulla disjunctive loquitur, per dictionem vel, quæ alterutrum subsistentia verificatur, arg. l. *Eum*, ff. *de Legat.* l. *Si illud*, ff. *de Legat.* 2, cum concordantiis. Ut autem ad propositum dicatur de religione tractare, debet ex professo, seu instituto tractare de illa, v. g. de theologia scholastica morali, vel mystica, hoc est, de mysteriis fidei, cultu Dei, et sanctorum, de Scriptura sacra, de peccatis, de conscientia, de moribus in ordine ad finem naturalem recte instituendis, etc., ita, ut non sufficiat obiter tanquam de huiusmodi objecto agere, uti bene advertit Sanchez, lib. II, cap. x, numer. 34, ubi tamen etiam merito addit, non esse necesse, ut principale argumentum vel objectum libri sit de religione, sed sufficere, si incidenter, et per accidens, ita tamen notabiliter de religione tractet, ut arbitrio prudentis censeatur ex professo, vel instituto, et non obiter de illo agere. Porro si de religione agat, lectio illius prohibita est, etsi nullam penitus hæresin contineat. Et hæc extra controversiam esse, merito ait Layman loc. cit.

47. *Magna controversia inter doctores est: an, et quando liber hæretici principaliter de alio objecto tractans, unam tamen, vel alteram*

hæresin inspersam habens dicatur in sensu Bullæ continere hæresin. — Magna autem controversia est de altera divisiva conditione, vel hæresin continet, quidnam videlicet requiratur, et sufficiat ad hoc, ut liber dicatur continere hæresin in sensu Bullæ Cœnæ; præsertim an hæresin sufficienter continere, indeque sub excommunicatione reservata prohibiti esse censeantur hæreticorum auctorum libri illi, qui ex professo, vel instituto principaliter nec de religione, nec de hæresi, sed alia materia et objecto v. g. philosophia, medicina, historiis, rebus politicis, etc., tractant, unam tamen, vel plures hæreses per accidens aut incidenter hinc inde inspersas habent. Circa quam controversiam, ut certa ab incertis separemus.

48. Notandum prius, certum esse, ad hoc, ut liber in censu Bullæ hæresin continere, indeque prohibitus censeatur, neququam requiri, ut liber principaliter agat de hæresi, sed sufficere, si unam vel alteram hæresin per accidens contineat, eamque ex instituto, aut professo, seu notabiliter deducat, proponat, defendat, multumque probare, legitime persuadere conetur, etsi juxta tenorem frontispicii principaliter de alio objecto, vel materia, medicina v. g. tractet. Ratio est, quia Bulla non requirit, ut liber de hæresi principaliter agat, sed tantum ut vel de religione tractet, vel hæresin contineat, quarum hæc posterior pars utique saltem tunc verificatur, si præfato modo liber hæresin continet; quia tunc perversionis periculum jam adest, ob quod principaliter prohibita esse videtur lectio libri hæresin continentis, vel de religione tractantis.

49. *Juxta aliquos sufficit, si vel unica simplicissime, ac brevissime proposita, nulloque modo propugnata, hæresis per accidens inspersa habeatur.* — Sola itaque difficultas remanet de hæreticorum libris illis, qui neque de religione, nec de hæresi, sed alia profana materia, vel objecto, medicina, v. g. philosophia, statu politico, etc., tractantes, unam quidem, vel etiam plures hæreses hinc inde dispersas continent, nullam tamen earum ex instituto, aut notabiliter propugnant, vel defendunt, aut probare, vel persuadere conantur, sed simpliciter tantum referunt, vel ad summum obiter duntaxat, et brevissime, ac sine ulla aliqua apparente ratione, aut argumento propugnant. Sanchez siquidem lib. II, *Moral.*, cap. x, num. 34; Suarez, part. III, tract. V;

Palao, *de Infidelitate*, tract. IV, disp. 2, pun. 10; Bonacina, disp. 2, q. 5, pun. 4, num. 19; Farinacius, *de Hæresi*, q. 180, num. 22, et alii docent, etiam talem librum in Bulla Cœnæ sub excommunicatione prohibitum censer; quorum sententiam verbi Bullæ conformiorem etiam judicat Laymanus, lib. II, tract. I, cap. xv, num. 3, eo, quod Bulla plus non requirat, quam ut liber, vel de religione tractet, vel hæresin contineat; in tali autem libro hæresis revera continetur, consequenter conditio Bullæ adimpleta habetur; cum in alternativis, seu disjunctivis alterutrum verificari sufficiat per jura n. 46, citata.

50. *Contrarium docet Layman ex fundamento tamen minus solido.* — E contra idem Layman loc. cit, num. 4, docet, hujusmodi hæreticorum auctorum libros hæresin simpliciter tantum referentes, aut obiter propugnantes, in partibus nostris Germaniæ non obstante Bulla Cœnæ licite legi posse, quia (ait ipse) illa constitutio Bullæ secundum talem rigorem recepta non est. Idem docent nunc plerique post Layman, scribentes, ut Pirhing, h. t. num. 20, et alii nullo alio ducti fundamento, quam quod Layman, dicat, Bullam Cœnæ secundum talem rigorem in Germania non esse receptam; prout etiam ipsum solum, ejusque opinionem de Bulla secundum talem rigorem non acceptam, pro fundamento suæ sententiæ citant, ut proin solum præfatum Laymani dictum pluribus recentioribus ansam præbuerit, docendi et tenendi, Bullam Cœnæ in his partibus secundum omnem rigorem non esse receptam, indeque tuto legi posse hæreticorum auctorum libros, hæresin unam vel plures simpliciter referendo, aut obiter duntaxat propugnando continentis.

51. *Idem contrarium et nos, ut satis probabile tenemus, sed alio ex fundamento.* — Nos autem (salva auctoritate et judicio Ecclesiæ) omnino probabile censemus, præfatos hæreticorum libros, qui juxta tenorem frontispicii, nec de religione, nec de hæresi, sed alia profana materia, aut objecto, v. g. philosophia medicina, mathesi, historiis profanis, statu politico, etc., principaliter tractantes, unam, aut plures hæreses continent quidem, nullam tamen earum ex professo et instituto, aut notabiliter propugnant, sed simpliciter referunt, aut obiter duntaxat, brevissime simulque aperte futiliter propugnant, in omnibus, non tantum Germanis,

sed etiam aliis absque ulla læsione Bullæ Cœnæ tuta conscientia legi posse, nisi alia prohibitio obstet. Ad hanc autem opinionem neququam movemur Laymani, et illum sequentium fundamento, utpote periculoso, et minus subsistente juxta dicenda infra a n. 79, sed alio, illo videlicet, quod hujusmodi libri per Bullam Cœnæ non videantur prohibiti, prout per sequentia probamus.

52. *Quia videlicet circa tales libros universaliter deest ratio, et finis legis.* — Ubi universaliter deest, vel non reperitur ratio et finis legis, ubi etiam deest, vel non reperitur, nec datur lex, aut obligatio, etsi verba legis eam insinuare videantur; sed in hæreticorum libris, qui principaliter de re profana, medicina v. g. philosophia, historia, statu politico, etc., tractantes, unam vel plures hæreses simpliciter duntaxat referunt, vel eam non nisi obiter, brevissime, et aperte futiliter deiundunt, universaliter deest, et non reperitur ratio, et finis legis; ergo respectu illorum non datur lex, nec obligatio ipsius.

53. Major videtur certa; quia juxta illud vulgatum doctorum: Ratio legis est, anima legis, ita ut Abbas in c. *Ad audientiam, de Decimis*, num. 2, dicat: habent se verba et intentio, seu ratio, sicut corpus, et anima; nam sicut anima dominantur corpori, ita ratio legis dominatur verbis; ergo, ubi universaliter deest, et non reperitur ratio, finis, seu intentio tanquam anima legis, etiam ipsa lex abest, etsi verba legis ejus præsentiam insinuare videantur. Nam pro commoditate lectoris, et materiæ dignitate hic iterum repetitur, quod supra jam dictum ex can. *Humanæ aures*, cau. 22 q. 5. Non debet aliquis verba considerare (intellige nude et simpliciter) sed voluntatem, et intentionem, quia non debet intentio verbis servire, sed verba intentioni. Et hinc l. *Scire*, 16, ff. *de Legib.* Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim et potestatem. Et c. *Certum est*, 88, *de Reg. jur.*, in 6. Certum est, quod is committat in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

54. Probatur itaque minor; ratio, finis, et intentio, quare sollicita mater Ecclesia per Bullam Cœnæ sub excommunicatione gravissime prohibuerit, et etiamnum prohibeat lectionem hæreticorum librorum de religione tractantium, aut hæresin continentium fuit, et est, evitare periculum perversionis, et hæresum propagationem, seu

ne legentes hujusmodi librum, ex lectione illius se conjiciant in periculum perversionis, et hæreses ulterius serpent prout habet communis doctorum, et amplius dictum est supra. Atqui in allegatis num. 51 libris, et lectione illorum universaliter abest, seu nullum reperitur perversionis periculum; universaliter enim loquendo, sicut nemo prudenter præsumitur, pati aut subire periculum perversionis ex hoc solo, quod simpliciter et nude sciat, aut audiat, hæreticos nanc, aut illam hæresin tenere, v. g. non dari purgatorium, matrimonium non esse sacramentum, etc., ita etiam universaliter loquendo nemo prudenter præsumi potest pati tale periculum ex hoc solo, quod id nude, et simpliciter, vel obiter relatum, in horo legat.

55. *III. Conditio est, ut scienter, seu sciens legat, id est sciat librum esse auctoris hæretici, et de religione tractare ac hæresin continere.* — III. Conditio requisita ad hoc, ut quis legendo librum auctoris hæretici de religione tractantem, aut hæresin continentem incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ est, ut scienter legat; id est, ut sciat librum esse auctoris hæretici et tractare de religione, vel hæresin continere. Omnes. Ratio est, quia Bulla expresse requirit, ibi: Scienter legentes. Hinc, qui vel non scit auctorem libri esse hæreticum, vel si id sciat quidem, ex tenore tamen, vel aliunde deceptus ignorat, illum de religione tractare, vel hæresin continere, excommunicationem vi Bullæ Cœnæ non incurrit; etiamsi ignorantia esset crassa, aut supina. Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. x, num. 38; Layman, lib. II, tract. I, cap. xiv, num. 4. Universaliter enim, quando in lege ad incurrandam censuram requiritur scientia, excusat ignorantia etiam crassa, ut post Covarruviam in c. *Alma mater*, p. I, § 10, num. 17; Sylvester, *Ignorantia*, q. 8, dict. 4, et alios, bene docet et probat, Sanchez, lib. IX, disp. 32.

56. *IV. Conditio est, ut quis legat talem librum sine facultate apostolica directe, vel indirecte concessa.* — IV. Conditio est, ut legatur sine auctoritate, seu licentia Sedis apostolicæ, uti expresse requirit Bulla Cœnæ. Hinc qui vel a summo Pontifice, vel alio habente facultatem pontificiam concedendi lectionem librorum hæreticorum, specialem habet licentiam, legendi dictos libros, a censura utique immunis erit. Et talem facultatem a summis Pontificibus spe,